

P V I S



1 6 0 3

IX

8.

DE SACRA
SCRIPTURA

Propositiones,

DE QVIBVS (IUVAN-
TE DEO) PRAESIDE REVE-
RENDO VIRO, DOMINO IOHANNE MATTHAEO
Smalcaldensi, S. Theologiae Doctore & Professore,
ordinaria disputatione, M. ANDREAS GODEKEN
respondebit, in auditorio collegij noui,
die 27 Aprilis, manè ho-
ra sexta.



i.

WITTEBERGAE
Ex typographia Simonis Gronenbergij,
M. D. LXXXII.



THEMATA
DE SACRA SCRIPTURA.

I.



Sicut in Philosophia & omnibus artibus, de quibus lux humani ingenii per sese judicat, causa certitudinis sunt: experientia uniuersalis: principia, id est, notitia nobiscum nascentes: & intellectus ordinis in iudicanda consequentia: ita in Theologia certitudinis causa est, sacra scriptura diuinitus inspirata.

II.

Cum ergo ex sacris libris, tanquam certissimo principio, cui soli insistendum, omnium rerum Theologiarum cognitio petenda sit, merito dignitas eius & authoritas, contra Papatum, Antichristi regnum, à vera Christi Ecclesia defenditur.

III.

Vocatur autem scriptura, de qua nobis nunc sermo est, sacra: quia sacrosancta Dei eloquia, virtutes & miracula complectitur. Vnde etiam verbum Dei rectè appellatur, & separatur hoc nomine ab omnibus aliis libris, qui de rebus prophanis & superstitiosis conscripti sunt.

A 2 Sic

IIII.

Sic itaq; definitur potest: Sacra scriptura libri sunt, qui continent verbum & eloquia, opera & miracula Dei, per Prophetas, Apostolos & Evangelistas sancto Dei spiritu afflato conscripti, ut sint norma certitudinis & veritatis omnium materialium Theologicarum.

V.

Porrò libri sacri diuiduntur in Vetus & Nouum Testamentum, & vocantur quidam Canonici: quidam Apocryphi. Sunt & alii, sed nouo Testamento non inserti, quos nothos vocant, siue supposititios & adulterinos: hos simpliciter repudiavit & reiecit vetus Ecclesia: ut est, Euangelium Nicodemi: protoeuangelium Jacobi: Pastor Hermae: Euangelium Bartholomaei: & huius farinae alii.

VI.

Canonici libri pro authenticis habentur, quibus auctoritas Ecclesiasticorum dogmatum comprobatur & conseruatur, quia verè Prophetici & Apostolici sunt, omnium testimonio. Secundum hos de patrum scriptis & conciliorum decretis liberè iudicandum: de his ipsis verò omnino iudicare non licet.

Apocry-

VII.

Apocryphi sunt, de quorum origine & fide dubitatur. Ideo, ad confirmandam Christianæ religionis doctrinam non valent. ἀπόκρυφος idem est, quod secretum, obscurum, absconditum. Hi libri in Ecclesia Dei non palam, quemadmodum Canonici, sed domi à privatis legi consueverant.

VIII.

Veteris Testamenti libri omnes sunt Canonici, exceptis quibusdam Apocryphis, quos etiam Hebræi ad Canonis auctoritatem non admittunt: ut sunt, Tobias, Judith, Baruch, Epistola Jeremia, Obitrium puerorum, Esdra tertius & quartus, Sapientia Salomonis, Sapientia Sirach, Historia Susanna, Belis, Draconis, & libri Maccabaorum.

IX.

Novi Testamenti libri omnes sunt Canonici. Dubitatum tamen est à veteribus de Epistolis Iacobi & Jude, & secunda Petri, & Iohannis secunda & tertia. Item de Epistola ad Hebræos, & Apocalypsi Iohannis.

X.

Porro Deus origo est verbi sui, quod in sacra scriptura continetur. Nam aut ipse locutus est cum hominibus; ut cum Adamo, Noë, Abrahamo,

A 5 &

Et in monte Sinai cum Moyse: aut per media, nempe Angelos, Prophetas, Christum filium suum, Et Apostolos eius.

XI.

Ita fundamentum ab ipso Deo est jactum, omnium eorum, quae ad veram religionem, fidem Et pietatem pertinent: cui fundamento sequens scriptura innititur. Nam post ea verbum Dei literis est mandatum. Vnde sacra litera vocantur verbum Dei.

XII.

Moysem primum statuumus, qui ea, quae ore ac veluti per manus tradita sunt mundo, scriptis complexus est, una cum iis, quae toto tempore vitae suae, per annos 120, gesta sunt.

XIII.

Ea autem, quae primo libro scripsit, non tantum revelatione divina, facta ei in monte Sinai, cum apud Deum esset 40 diebus Et totidem noctibus (ut quidam volunt) habere: sed ex parentibus Et maioribus cognoscere potuit.

XIIII.

Moysem sequuntur Prophetae, quos Jehova excitavit, qui scripserunt aut historias suorum temporum,

porum, aut conciones suas, aut prophetias, quas à Domino habuerunt.

XV.

Scriptores Testamenti veteris sequuntur Evangelista & Apostoli, qui de Domini nostri Jesu Christi persona & officio, de eius doctrina & miraculis, de Apostolorum rebus gestis, & ad Ecclesias epistolas scripserunt.

XVI.

Quidam contendunt, ante Moysen sacros quosdam libros extitisse. Nam Judam Apostolum citare dictum ex Enoch. Et sunt qui dicunt, libros Enoch in Ecclesia regina Sabae asservari, & in maiori auctoritate quàm Moysis haberi. Item dicunt, historiam Job editam antiquis temporibus. Sed contra piè statuamus, ante Moysen nihil sacrarum literarum extitisse.

XVII.

Quòd autem Ecclesia DEI à creatione mundi, usque ad Moysen, non habuerit scripturas, non est prater rationem factum. Necesse enim erat, prius fundamentum poni Religionis, fidei & pietatis, cui fundamento scriptura inniti posset. Ideò
crebris

crebris apparitionibus & miraculis, oraculisq̄, fides paranda erat.

XVIII.

Jam verò post acceptas sacras scripturas, earum rerum reuelationem querere, quæ ad veram religionem & fidem requiruntur: non modo repugnaret huic ordini diuinæ dispensationis, qua traditio præcessit, & scriptura secuta est: sed aperiretur diabolo fenestra ad illudendum nobis falsis reuelationibus: & daretur hominibus ansa contemnendi sacras literas.

XIX.

Scriptura sacra multiplex est utilitas. Primò enim perpetuam operum DEI memoriam, perpetuamq̄ eloquiorum Dei ad nos vocem debemus sacris literis. Nam per scripturas efficitur, ut adhuc habeamus Deum, Prophetas, Christum & Apostolos nobiscum loquentes. Quare, qui audit sacram scripturam, audit Deum, Prophetas, Christum & Apostolos.

XX.

Secundò, *πρὸς διδασκαλίαν*, ad doctrinam est utilis. Doctrina autem est instructio ignorantium, & comprehendit omnia illa, quæ aliàs sacra dogmata

dogmata appellantur. Huic annumerantur omnes articuli fidei, omniaq; religionis nostræ capita: quorum precipuum est illud de Christo, qui est scopus totius sacræ scripturæ.

XXI.

Tertiò, πρὸς ἑλεγχόν, ad redargutionem. Quæ est facultas, qua errores conuincuntur. Sunt autem errores duplices: aut doctrinæ: aut operum. Ideò est duplex redargutio: una, qua hereses: et altera, qua fructus mali redarguuntur. Vtramq; redargutionem nusquam melius, quàm ex sacris scripturis petere licebit.

XXII.

Quartò, πρὸς ἐπισωθῶσιν, ad correctionem prodest sacra scriptura. Correctio verò est restitutio eorum, quæ collapsa sunt in Ecclesia. Vnde sacra scriptura regula est, ad quam quæuis errata, tum doctrinæ tum vitæ, corrigenda sunt.

XXIII.

Quintò, πρὸς παιδείαν, ad institutionem. Quæ complectitur omnia, quæ in sacris literis proposita sunt, ad vitam, in vera sanctimonia, et justitiæ fructibus, rectè coram Deo et hominibus formandam.

B Sextò,

XXIII.

Sextò, sacra scriptura afflictoſ consolatur, ſpem
 & patientiam alit, & armaturam præbet aduer-
 ſus tentationes ſathana.

XXV.

Postremò & hoc addimus, quòd ſpiritus noſter
 jucundam ex ſacris literis capit recreationem, tan-
 quam in amœniſſima paradifo. Habet enim ar-
 borem ſcientiæ non prohibita: habet lignum vitæ,
 Chriſtum: habet fluentia aquarum viventium: ha-
 bet omnis generis arbores pulcras & ſuaues, ſan-
 ctos videlicet Patriarchas, Prophetas & Apoſto-
 los: habet auram, ſcilicet afflatum Spiritus ſancti:
 habet vocem DEI, ſalutem humano generi oſten-
 dentem.

XXVI.

Vtilis eſt autem ſacra ſcriptura, non quantum
 ad ſonos, literas aut ſyllabas: ſed Spiritus ſanctus
 per verbum DEI eſt efficax, & has utilitates o-
 mnes operatur.

XXVII.

Porro uniuersa ſacra ſcriptura duabus linguis
 conſcripta eſt, hebraea & graeca. Libri enim vete-
 ris Teſtamenti hebraeo: Noui verò graeco idioma-
 te conſcripti ſunt.

Quod

XXVIII.

Quòd autem vetus Testamentum hebraea lingua exaratum est, non caret rationibus. Conueniebat enim, ut oracula sacra, in populo sacro, idiomate populi, cui destinabantur, conscriberentur.

XXIX.

Ideo quoque hebraea lingua sancta vocatur, non modò propter materiam: sed propter oracula oris Dei hac lingua prolata: propter sanctos Patriarchas, Prophetas & Christum ipsum, qui hac lingua sunt usi: & propter Spiritum sanctum; cuius instinctu scripserunt Prophetae: propter Ecclesiam vetustam, cui hac lingua fuit familiaris: & denique propter primauam originis antiquitatem.

XXX.

Quòd verò libri Noui Testamenti ab Euangelistis & Apostolis graeco idiomate sunt conscripti, & ipsum non est prater rationem factum. Regnum enim Christi propagandum erat ad Gracos, hoc est, ad gentes: & graeca lingua (teste Cicero-
ne in Oratione pro Archia Poëta) propter Gracorum imperium legebatur in omnibus ferè gentibus. Conuenientiori igitur lingua Nouum Testamentum in orbem spargi non potuit, quàm graeca.

B 2 Sunt

XXXI.

Sunt tamen qui affirmant, Euangelium Matthæi, & epistolam ad Hebræos, hebraicè conscripta esse. Quod quanquam fortassis verum est: tamen hebraica illa Epistola ad Hebræos, quam nos habemus, ex græca & latina in hebraicam linguam transfusa est: similiter & Euangelista Matthæus.

XXXII.

Ex jam dictis patet, quàm necessaria Theologo sit linguarum cognitio. Semper enim ab ore alieno pendeat, nec de variis Bibliorũ translationibus judicare poterit, qui lingua hebraicæ & græcæ ignarus est.

XXXIII.

Olim legebatur sacra scriptura publicè in Ecclesiis, cunctis audientibus, & addebatur brevis interpretatio. Hoc fiebat per Anagnostas, id est, lectores. De hac lectione loquitur Apostolus 1 Timoth. 4. Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ.

XXXIII.

Huius lectionis utilitates sunt: conseruatio puræ doctrinæ: cognitio rerum & historiarum sacrarum

rum

rum, etiam apud illos, qui per se legere non possunt,
vel Biblia domi non habent: facilius intellectus cō-
cionum publicarum: Et quod rudis auditor plura
secum in animo reportat domum ex simplici sacra
scriptura lectione, quam ex longa concione.

XXXV.

Hæc lectio dicitur publica. Sed est Et priuata
lectio, qua sacra scriptura legitur extra cœtum ec-
clesiasticum, ut in scholis Et contuberniis ad mensam
fieri solet, Et in domibus fidelium, qui domesticam
instituerunt Ecclesiam, ubi sumpto cibo domesticus
quidam caput unum vel alterum ex Bibliis ordine
legit.

XXXVI.

De interpretatione sacra scriptura obseruandum
est, quod unicum tantum sensum habeat, videlicet
literalem, quem Grammatica siue lingua infor-
mat, qui solus valet ad confirmandam cœlestis do-
ctrinae veritatem. Litera igitur dat sensum, Et res
denotat Et exprimit.

XXXVII.

Res autem significata, præsertim in historiis, ac-

B 3

commo-

commodantur aut ad fidem nostram: aut ad mo-
res siue charitatem: aut ad ea, quæ speramus nos
in altera vita possessuros. Inde est, quod de
duplici sacra scripturæ sensu dicitur: literali &
mystico: eoque triplici, Allegorico, Tropologico &
Anagogico, juxta tres Theologicas virtutes, ut
vocant, fidem, charitatem & spem.

XXXVIII.

Allegoria sola nihil probat. Cuius axioma-
tis ratio est: quia quod in uno scripturæ loco sen-
sus exponitur mystico, alibi sensu literali, siue ad
literam debet esse scriptum. Et, Quicquid ad li-
teram in sacra scriptura non traditur, illud tan-
quam ad salutem necessarium sensu mystico non
potest doceri.

XXXIX.

Habet autem sacra scriptura auctoritatem à
DEO authore suo. Cum enim sit diuinitus inspira-
ta, fidem & auctoritatem doctrinæ, Religionis, & Ec-
clesiæ Christianorum semper fecit, & adhuc facere
debet; ut nulli creaturæ, de Deo & rebus diui-
nis, aliter liceat cogitare, sentire aut loqui, quam
in illa est patefactum. Huic sermoni Prophetico
& firmo nihil licet addere, nihil detrabere, nihil in
eo mutare. Qua-

XL.

Quapropter primum hoc est Religionis nostra caput, ut sine ulla dubitatione sacram scripturam veram esse credamus, siue historias recitet, siue doceat, siue vaticinetur, siue promittat, siue minetur. Sine hac veritatis fide, nihil est in omni Religione nostra, quod constare queat.

XLI.

In omnibus igitur de doctrina & Religione controuersis sola sacra scriptura iudex est. Partes quidem dissidentes habere possunt iudices pios & doctos viros: sed qui de controuersia, non pro sua autoritate, aut ex longa consuetudine, sed ex ipso verbo Dei, aeterna veritate, iudicent.

XLII.

Sunt & quaedam de impletione sacra scripturae obseruanda. Vetus Testamentum aut prophetias siue praedictiones: aut typos & figuras: aut doctrinas cum exemplis continet. Dicitur itaq; sacra scriptura impleri: vel, quando euenit quod praedictum aut promissum est: vel, cum veritas figuris Veteris Testamenti succedit: vel, quando similia doctrinis & exemplis fiunt, vel facta sunt.

Qui

XLIII.

Qui hæc obseruat, facile videt, quomodo Euangelista & Apostoli scripturam impletam esse dicant: aut quia fit, quòd prædictum est, promissum & præfiguratum: aut, quia aliquid agitur vel dicitur, quod ad aliquem locum scripturæ quadrat: aut, quòd aliquem locum ad suam sententiam per similitudinem aptant.

XLIIII.

Variè autem his, quæ huc usque verè de sacra scriptura dicta sunt, à Papistis & aliis fanaticis hominibus contradicitur. Primò enim Papista contra Canonem peccant, cum apocrypha (si ipsis ita videtur) absque ullo primitiuae Ecclesiæ testimonio canonicant. Sicut factum est in synodo Tridentina, in qua libri Maccabæorum canonicati sunt.

XLV.

Deinde lectionem sacrae scripturæ Anabaptistæ impugnant, qui contendunt, veteris Testamenti libros nihil pertinere ad Christianos, ideo quòd vetus Testamentum sit abrogatum.

Papista

XLVI.

Papista prætereà volunt, sacram scripturam non esse legendam à laicis, neque in vernaculam cuiusque gentis linguam transfundendam: propter obscuritatem: propter hereticos, per quos Biblia versa sint & corrupta: propter decorum, quòd doctos tantùm deceat, non laicos sacra Biblia legere: propter hæresin vitandam, quòd Biblia sint hereticorum libri: propter exemplum, quod à Judæis sumunt, qui non omnes promiscuè ad lectiõnem sacrorum librorum admittunt. His rationibus frivolis sacra Biblia è manibus laicorum Pontificii excutere conantur.

XLVII.

Sunt & qui interpretationi aduersantur. Quidam enim sensum spiritualem vel mysticum præferunt sensui literali, & utuntur S. Pauli testimonio 2. Corinthios 3. Litera occidit: Spiritus autem vivificat. Quidam verò sacre scripturæ interpretationem ad suam potestatem pertinere dicunt, sicut Romani Pontificis assentatores, qui asserere audent, scripturas esse temporibus adaptatas, & varie semper intellectas, ita ut uno tempore secun-

C dum

dam currentem uniuersalem ritum Ecclesia expone-
rentur, mutato uerò illo ritu, iterum sententia scri-
ptura mutaretur alio tempore. Quidam etiam
contendunt, sacram scripturam non egere interpre-
tatione.

XLVIII.

Præsertim autem contra auctoritatem sacra
scriptura ratione varia disputatur. Primò enim
sunt qui affirmant, doctrinam per Euangelistas &
Apostolos traditam, inabsolutam esse & imperse-
ctam.

XLIX.

Deinde inueniuntur, qui negant uerbum Dei
& ueritatem predicari, ubi fructus prædicationis
apud omnes auditores æquè non apparent.

L.

Posteà contra ueritatem scriptorum Euange-
licorum Porphyrius & Julianus Euangelium &
Euangelistas calumniati sunt, quasi scribendo sint
lapsi, & à ueritate aberrauerint. Collegerunt i-
taque ex historia Euangelica, nescio quas antilo-
gias, quibus infamem reddere, & exauthorare do-
ctrinam Euangelicam uoluerunt.

Prætere

L I.

Prætereà sunt, qui scripta Patrum & decreta Conciliorum sacra scriptura vel præferunt, vel adæquant, proptereà quòd Patrum testimonia quidam proferunt. Cùm Patrum scripta, inquirunt, sunt infra scripturam, quorsum testimonia ex Patribus citantur?

L II.

Adbec, quidam Papistarum ad eleuandam sacrorum scriptorum auctoritatem obijciunt: Ecclesie auctoritatem majorem esse auctoritate Bibliorum. Et, sacram scripturam auctoritatem suam ab Ecclesia habere, que si deserat scripturam, ualere eam quantum Æsopi fabula.

L III.

Postremò, huc omnis Papistarum conatus redit, ut scriptura sacra tollatur è medio, ne habeat auctoritatem judicis in controuersis ecclesiasticis: sed iudex sit Papa Romanus cum suis membris. Quare contendunt, cùm Patres altercantes partes utrinq; testimoniis sacrarum literarum utantur, alio iudice opus esse, quam sacra scriptura.

C 2 Multa

LIIII.

Multa quoque planè impia & superstitiosa defendunt Papista contra sacram scripturam titulo Apostolicarum traditionum. Et hereticorum multi haereses suas eodem titulo colorabant.

LV.

Tradere autem in hac materia idem est, ac rem aliquam (utpote doctrinam vel opus) custodiendam ac seruandam ad posteros, non scripto, sed verbis & institutione, ac veluti per manus transmittere, ut $\omega\sigma\gamma\acute{\alpha}\delta\omicron\omicron\iota\varsigma$ sit $\acute{\alpha}\gamma\gamma\alpha\phi\omicron$ διδασκαλία, id est, doctrina non scripta.

LVI.

Cùm ergo incertum sit, quenam pro Apostolicis certò sint habenda, tutius existimamus, ut de $\acute{\alpha}\gamma\gamma\alpha\phi\omicron\iota\varsigma$ secundum $\acute{\alpha}\gamma\gamma\alpha\phi\alpha$, quàm ut de $\acute{\alpha}\gamma\gamma\alpha\phi\omicron\iota\varsigma$ secundum $\acute{\alpha}\gamma\gamma\alpha\phi\alpha$ judicemus.

LVII.

Si de traditione aliqua certum est, eam ab ipso Domino seu ipsius Apostolis esse: equum erit, ut singulari quoque reuerentia (si modò causa illi-

us

us traditionis non desit) obseruetur. Sin autem illius author ignoratur, videri debet, qualis sit vel in se, vel in usu populi: seruiatne utilitati Ecclesie vel honestati, & pro qualitate sua seruetur vel negligatur.

LVIII.

Quia omnes illas traditiones respuendas esse censemus, quæ pugnant cum verbo DEI: quæ sunt ociose, vana & inutiles: quæ sunt inhonestæ & indecoræ: quæ sunt superstitiosæ vel in speciem: quæ sunt molestæ & onerosæ: quæ magis faciunt ad questum quàm ad edificationem: & quæ conscientias fidelium seruituti subjiciunt.

LIX.

Ne igitur discamus à sacra scripturæ hostibus, reuelato & manifesto verbo DEI contradicere, sed agnoscamus, gratæque mente colamus hoc ingens Dei beneficium, quòd nobis certos quosdam libros, Propheticos scilicet & Apostolicos, dedit, qui essent certa fidei Religionisq; nostræ norma & regula: & ex quibus Deum patrem, & filium eius Jesum Christum verum Deum & hominem,

C. 3 una

una cum Spiritu sancto, rectè cognoscere, inuocare, & colere disceremus, & ab erroribus tuti, ad propositam metam inoffenso pede pergeremus. Omnia enim scripta sunt, ut credamus, quòd Jesus est filius DEI, & ut credentes vitam habeamus in nomine eius, qui est benedictus in secula, Amen.



... cum spiritu sancto regis cognoscere. Inuoca-
re. Et colere dixerunt. Et ab erroribus suis. ad
proprietatem ueritatis inuoluntate. Quod
tunc cum scripta sunt. ut crederent. quod se-
parat sunt. De. Et si crederent. ueritas ha-
berent in nomine eius. qui est benedictus in seculum.
Amen.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.



Jf 4600


ULB Halle 3
003 299 04X



sb.

1077





IX

8,

DE SACRA
SCRIPTURA

Propositiones,

QVIBVS (IUVVAN-
DEO) PRAESIDE REVE-
VIRO, DOMINO IOHANNE MATTHAEO
denſi, S. Theologiae Doctore & Professore,
ia diſputatione, M. ANDREAS GODEKEN
ſpondebit, in auditorio collegij noui,
die 27 Aprilis, manè ho-
ra ſexta.



i.

WITTEBERGAE
Ex typographia Simonis Gronenbergij,
M. D. LXXII.

